

6) Ratione propriae sufficientiae, est *perfecta seu independens*, quae sibi plene sufficit quoad media obtainendi finem, ita ut in hoc a nulla alia societate dependeat; — vel *imperfecta seu dependens*, si secus.

*N. B.* Potest societas aliqua esse simul imperfecta et tamen completa, v. c. societas domestica.

## CAPUT II.

### DE SOCIETATE DOMESTICA.

Prima quae explicanda nobis obvia fit societas, ea est, quae duce natura maxime necessaria est, quae in singulis hominum domibus invenitur, unde domestica dicitur. Hanc nos latissimo suo sensu intendimus sumere, quantum nempe et conjugatos virum et mulierem, et eorum prolem, et simul servos, famulos, operarios mercenarios complectitur. Unde variae erunt quaestiones :

- Quaestio 1. De matrimonio.
- Quaestio 2. De parentibus et prole.
- Quaestio 3. De hero et servo vel famulo.
- Quaestio 4. De patrono et operario.

#### QUAESTIO 1.

##### De matrimonio.

##### Propositio 118.

###### Societas conjugalis ex ipsa natura oritur.

**Notiones.** *Societas conjugalis*, seu *matrimonium*, est viri et mulieris conjunctio ad procreandam et educandam prolem et ad mutuum vitae subsidium ordinata. — Haec ergo tanquam fundamentum suum praesupponit intimam mutuam dilectionem, et stabilitatem aliquam necessario inducit.

**Prob.** Natura (Deus) vult propagationem generis humani, eamque non qualemcumque sed dignitati naturae humanae conformem; a. haec sine societate conjugali obtineri nequit; e.

*Ad maj.* 1) Naturalis finis omnium mundanarum rerum est ut homini prosint, tanquam media ad ipsum finem hominis : vitam ita degendam ut beatitudinem mereatur (cfr. theolog. natur. et ethic. supr.); a. tantorum, tam multiplicium, ac tam permanentium mediorum finis non exhaustur in una generatione hominum, simul tam brevem vitam viventium; e.

2) Natura dedit homini, etiam invito, vehementem concupiscentiam ad sexum conjunctionem; et simul organa et facultates sexuales aptissime dispositi ad propagationem obtainendam; insuper ipsam viri ac feminae indolem,

inclinationes et potentias naturales ita moderata est, ut vere appareant vir et femina esse mutuum vitae complementum; e.

3) Natura eo ipso quod homini rationem ac voluntatem spiritualem dedit, quibus tota reliqua ejus activitas subjeceretur et regeretur, voluit ut omnia humana fierent huic rationalis naturae dignitati conformiter.

*Ad min.* Conjunctionem stabilem, seu societatem illam requirunt : 1) conditio mulieris ante et post partum, — 2) conditio prolis, cuius vires physicae, intellectuales, morales, per educationem evolvendae, et quidem ab ipsis parentibus [quia : a) ipsi esse dederunt, et in statu extremae necessitatis posuerunt, ergo perficiant et adjuvent oportet, b) officium amoris inter homines strictius valet pro parentibus erga prolem, c) hoc ipse amor quasi instinctivus parentum postulat], — 3) mutua dilectio quam praesupponit conjugium; e.

##### Propositio 119.

**Finis matrimonii immediatus et primarius est generis humani perpetua propagatio per prolis generationem et educationem; secundarius finis est mutuum conjugum vitae subsidium; finis mediatus est properitas generis humani.**

**Stat. quaest.** 1) Hos varios fines omnes esse vere matrimonii fines, satis etiam ex ipso vulgari conceptu patet; sed essentiam ejus magis scientifice quaerentes, dispicere volumus quo ordine inter se illi fines cohaereant ac possint in unitatem societatis convenire, eamque specificare.

2) *Finis*, scilicet *finis operis*, non *finis operantis*, i. e. *finis ad quem natura sua intrinseca destinatur et tendit matrimonium*; non autem *finis ad quem homo vellet* uti matrimonio tanquam medio, v. c. ad dvitias, vel nobilitatem; vel quem solum intenderet, aliis neglectis vel etiam exclusis, v. c. solum mutuum solatum, sine generatione proli.

3) *Finis immediatus*, i. e. *essentialis et singulis conjugiis proprius, ad quem per se instituta est naturaliter societas conjugalis*.

4) *Finis mediatus*, i. e. *remotus, non singulis conjugiis obtainendus, sed ex conjugiis hominum collective sumptis sequens, et quidem eo perfectius quo fines immediati perfectius attinguntur*.

5) Tria igitur sint ostendenda : a) generationem et educationem esse finem immediatum primarium, — b) mutuum subsidium esse finem immediatum secundarium, — c) prosperitatem generis humani universi esse finem mediatum.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*generatio et educatio*). Ille est finis immediatus primarius matrimonii, a) ad quem natura primo et maxime impellit conjuges, vi naturalis inclinationis, b) qui a natura volitus est, nec tamen aliter quam per conjugium obtaineri potest; — a. haec de generatione et congrua educatione proli verificantur; e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*mutuum subsidium*). Ille est finis immediatus secundarius conjugii, a) ad quem natura ipsa conjuges impellit, b) qui ad finem primarium necessario praesupponitur, c) qui tamen in se solus spectatus non tam absolute necessarius est naturae humanae quam finis primarius; — a. haec de mutuo auxilio et quotidiana conjugum conversatione verificantur; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*prosperitas generis humani*). Ille est finis naturalis sed mediatus societatis conjugalis, a) ad quem natura sua tendit ipsa perfecta consecutio finis immediati, b) qui tamen non totus ab uno aliquo conjugio, sed a pluribus simul et post longius tempus attingi potest; — a. talis est prosperitas generis humani; e.

*Ad min.* Prosperitas generi humano erit, si inter homines generatim sit pax, et amicalis conversatio, et honestas mutua; a. haec omnia efficientur si in singulis familiis fuerit pacifica vita, et puerorum bona educatio, et honestatis consuetudo stabilis; e.

**Coroll.** Ergo societas conjugalis est natura sua simul societas amicalis, i. e. intimae mutuae existimationis, animorum communicationis, bonorum participationis, dolorum leniminis. Immo praeter amicitiam etiam addit quotidianam et continuam conversationem et convictum (quae minime ad amicitiam requiruntur).

### Propositio 120.

**Nulla est obligatio ex lege naturali, qua singuli homines matrimonium inire teneantur.**

**Stat. quaest.** Contra multos nostri praesertim temporis, dicentes matrimonium esse lege naturali singulis hominibus obligatione ineundum, quia caelibatus perpetuus sit dishonestus et impossibilis.

**Prob.** Obligatio haec omnibus et singulis proveniret aut ex directo creatoris praecepto, aut indirecte ex impossibilitate observandi sine matrimonio reliqua legis naturalis officia, aut indirecte ex necessitate matrimonii ex jure aliquo aliorum hominum; a. nihil horum; e.

*Ad maj.* Omnis obligatio reducitur ad unum ex his tribus, scilicet officia erga Deum, erga seipsum, erga alios.

**Prob. min. 1 part.** (*creatoris praecepto*). Praeceptum creatoris (seu legis naturalis) ineundi matrimonii, manifestatur inclinatione naturali hominum, et apta conformatio organorum ac potentiarum, et ut finem intendit propagationem perpetuam generis humani; — a. tanta est haec inclinatio naturalis hominum, ut certum sit finem quem creator vere vult, efficaciter obtentum iri, etiamsi aliqui voluntarie caelibatum eligant; e.

**Prob. min. 2 part.** (*reliqua officia*). Reliqua legis naturalis officia omnibus et singulis hominibus communia, respiciunt propriam conservationem et perfectionem tum corporalem, tum spiritualem, tum moralem; — a. ad haec omnia non absolute requiritur matrimonium singulorum; e.

**Prob. min. 3 part.** (*jura aliena*). Jus illud esset aut individui alicujus, aut societatis humanae; a. neutrum; e.

*ad min. 1* (*individui*). Individua sunt in communi naturae ordine per se aequalia; a. matrimonium pertinet ad communem naturae ordinem; e. non ex sola natura poterit in aliquo esse jus praevalens, quo alias ad matrimonium cogatur, sed forte ex aliquo facto accidental; a. tale factum accidentale non omnibus poterit esse commune, et plerumque est voluntarium; e. etiamsi aliquando hoc accidat, non semper apud singulos.

*ad min. 2* (*societatis*). Jus societatis humanae est ut socios ad finem socialis dirigat, sed minime ut vel novos socios cogat accedere, vel ut socios cogat alios novos procreare; e.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Impossibilis est continentia perpetua, ob intensitatem inclinationis naturalis; sicut ipsa exempla probant eorum qui etiam post vota castitatis labuntur, et eorum quibus continentia morborum et infirmitatum causa est; e. manifestatur praeceptum creatoris pro singulis. — R. n. assert. ant; — vel d. si quis soli naturae corruptae, sicut nunc est, fidere velit, c; cum vocatione Dei et oratione ac gratia, n. — *ad prob. 1.* (post vota...) d. labuntur ex necessitate, n; ex mala voluntate, c. et retorq: multi etiam non labuntur. — *ad prob. 2.* (morborum causa) d. raro, et per accidens, imo plerumque falsa a medicis narrantur, c; secus, n.

**Objic. 2<sup>o</sup>** Sine conjugio genus humanum conservari non posset; e. conjugium est de jure naturae, ac proinde caelibatus contra. — R. d. ant. sine ullo conjugio, vel sine plerorumque conjugio, c; sine omnium..., n. — d. par. 1 cons.

**Objic. 3<sup>o</sup>** Saltem caelibatus minuit numerum hominum, ac proinde bonum commune; e. est dishonestus. — R. a) tr. ant. — n. cons. (non tenetur unusquisque tantum conferre ad commune bonum quantum quocumque modo potest). — R. b) c. 1 part. ant. — n. 2 part. (haec continentia potest generi humano alia bona multo praestantiora conferre, v. c. exemplum praestantissimarum virtutum, paenitentiam pro omnium peccatis, curam liberiorem et efficaciorem necessitatum alienarum, tum spiritualium, tum corporalium).

**Objic. 4<sup>o</sup>** Bonum commune potius est bono privato; a. matrimonium respicit bonum commune, caelibatus bonum privatum; e. — R. d. maj. bono privato ejusdem ordinis, c; superioris, n. — *ad min.* caelibatus est bonum privatum ejusdem ordinis, d. in se spectatus, et si ad finem alium susceptus, tr; si ad virtutis exercitium susceptus et Deo dicatus, n.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo conjugium singulis per se non est obligatorium, — per accidens potest esse obligatorium aliquibus personis determinatis, v. c. ubi earum matrimonium sit unicum medium conservandae speciei humanae (cogita filios et filias Adae, vel Noe); — ubi aliquis sibi moraliter impossibilem sentiret legem castitatis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo caelibus prudenter, et ob altiores fines : virtutum exercitium fortius, et Dei amorem et cultum, susceptus, etiam perpetuus, est matrimonio longe excellentior.

### Propositio 121.

**Polyandria est absolute contra legem naturalem; polygynia est eidem legi adeo difformis ut sit naturaliter illicita.**

**Notiones.** 1) *Monogamia* est conjugium inter unum virum et unam feminam ; — *polygamia* si plures convenient; et quidem *polyandria*, si una femina cum pluribus viris, *polygynia*, si unus vir cum pluribus feminis.

2) De monogamia et *polygamia successiva*, qua post alterius mortem alter in novam societatem conveniat, nunc non agimus, neque ex lege naturali ullus diceret illicitam eam esse ; — sed de *polygamia simultanea*, qua plures quam duo simul in unum convenient, agitur.

3) *Absolute contra legem*, i. e. ita ut intrinsece malum sit, nec ullo modo, etiam per exceptionem, permitti possit.

4) *Legi difformis*, i. e. contra votum naturae et bonum melius procurandum, unde nonnisi per expressam creatoris permissionem, propter necessitatem, per accidens licita fieri possit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (polyandria).** Polyandria directe opponitur fini essentiali immediato societatis conjugalis ; a. ita repugnat ipsi constitutioni et existentiae hujus societatis, ac proinde legi naturali ; e.

*Ad maj.* 1) Repugnat *generationi*, nam teste experientia, commixtio unius feminae cum pluribus viris ejus sterilitatem inducit; et si mos ingrueret, post paucas generationes, fere omnes feminae forent steriles.

2) Repugnat *educationi*, nam prolis incertus esset pater, ac proinde : a) nullus paternam curam sibi assumeret, b) nullum filiali pietate vereretur proles, c) nulla fieri posset seria formatio ad ordinatam vitam.

3) Repugnat *mutuo subsidio et paci*, nam unitas nulla foret, sed perpetuae virorum mutuae suspiciones, rixae, zelus...

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (polygynia).** Polygynia non quidem finem essentialem societatis conjugalis penitus impedit, eum tamen efficaciter et natura sua difficile et fere nullum facit; a. ita est voto naturae, melius procurantis, contrarium ; e.

*Ad maj. 4 part. (non impedit).* Non tollit generationem et educationis curam et efficaciam ; nec prorsus impedit mutuum auxilium et solatium ; e.

*Ad 2 part. (difficilem facit).* Matrimonium supponit mutuum et totalem amorem, amicitiam, aequalitatem traditionis mutuae; a. in polygynia mulier se totam uni daret viro, vir inter plures feminas esset divisus; et vix posset a) non unam ceteris praeferre, reliquas fere ut servas potius quam ut coniuges habere; b) non unius carioris prolem praeferre, ceterarum educationem fere negligere; c) inter uxores non zelum et odium suscitare, et

pacem domi habere; d) cohibere seipsum intra certos concupiscentiae limites, et non totus caro fieri, deficiente scilicet certo fraeno monogamiae fidelitatis ; e.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo omnis venereus actus innaturalis intrinsece malus est, nam 1) in omni luxuriae vitio contra naturam, homo rectum naturae ordinem penitus everit (ea quae Deus ad finem gravissimum ordinavit, ad meram voluptatem corporalem, finem arbitrarium, detorquendo); a. hoc intrinsece malum est; e. — 2) In tali actu voluptas homini nullum verum bocum procurare potest, sed contra, animi et corporis dignitatem gravissime laedit ; e.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo omnis venereus actus etiam naturalis, extra matrimonium intrinsece malus est, nam : certum est, necessario, ex lege naturali, naturalem etiam venereorum usum determinato limite circumscribi ; a. hic limes solum conjugium esse potest ; e.

*Ad maj.* Eo magis ex rerum natura requiritur limes fixus, 1) quo gravius est bonum quod agitur, et 2) quo maius periculum res in se continet ; — a. 1) ex recto venereorum usu pendet bonum generis humani, et 2) talia sunt venerea ut in iis difficillime animus suam servet dignitatem ; e.

*Ad min.* Hic limes desumendus est a communi necessitate et fine venereo rum ; a. juxta communem hominum conditionem et rerum ordinem, nullus aliis certus limes sufficit 1) ad rectam generis humani propagationem, et 2) ad imminens impotentis libidinis evagaturaे periculum removendum ; e.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo omnis inordinatus venereorum usus, etiam intra matrimonium, ex se graviter legi naturali adversatur; nam eo gravior est obligatio 1) quo gravius bonum agitur, 2) quo funestiores sunt sequelae ejus violationis ; — a. 1) finis legis rectum usum venereorum ordinantis, est totius generis humani bonum, et singularem bonum et dignitas, et 2) luxuriae effectus sunt funestissimi (ordinario vires animi et corporis sanitatem prosternit, saepe horrendos morbos physicos, desperationem, suicidium, amenitiam affert...).

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo etiam ex ratione naturali jure merito dicunt theologi, omne peccatum etiam merae delectationis venereum plene liberum, licet actus ipse vel cogitatio sit levissima, esse *grave* : ob periculum proximum gravissimorum.

### Propositio 122.

**Vir est familiae caput; mulier est viri socia, non serva.**

**Stat. quaest.** 1) Non queritur utrum in societate conjugali (et proinde in tota domo et familia) existat aliqua auctoritas. Hoc enim patet ex ipsa natura societatis ejusque formae. — Sed queritur qualis sit illa auctoritas, seu in quo subjecto existat.

2) Respondent recentiores multi, eam aequaliter (democratice) existere et in viro et in femina, quibus diversa quidem munia, nulla tamen superioritas vel inferioritas sit. — Contra illos sit prima pars.

3) Sed contra alterum extremum tenemus alteram propositionis partem. Scilicet extra christianos fere ubique mulier nonnisi tanquam serva, libidinis instrumentum, ens inferioris conditionis, habetur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (vir caput).** In societate conjugali (et tota domestica), utpote a Deo (natura) immediate constituta, subjectum auctoritatis non libero conjugum consensu, sed ab ipsa natura, determinatur; *a.* a natura non mulier, nec uterque aequaliter, sed vir determinatur; *e.*

*Ad min.* Natura sua est vir magis perspicax, prudens, propositi tenax, corpore firmus, vagandi cupidus, protegendi capax, ad regendum aptus, ad agendum audax...; mulier autem debilior, auxilio et protectione indigens, timida, domiseda, maternitatis officiis impedita; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (mulier non serva).** Ad conjugium mulier non necessario sed libere convenit (cfr. prop. 120), et quidem ad illum finem qui conjugio proprius est; *a.* nec ille finis est servitium viri, nec ad alium cogi potest sine alia ratione mulier, ad quem non in societatem venit; *e.*

**Coroll.** Ergo viri auctoritas suavitate amicitiae temperanda est, totaque familiae administratio communi consensu, suis utriusque partibus servatis, peragenda.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Liber consensus mulieris necessarius est ad conjugium; *e.* non a sola natura vir est superior. — *R. d. ant.* ut vir fiat maritus vel non, *c.* ut si fit maritus, habeat auctoritatem, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Ad conjugium duo aequales convenerunt; *e.* aequales manent. — *R. tr. ant.* — *d. cons.* ita ut mulier non fiat serva sed socia, *c.* ut adsit superior sine subdito, et pereat ordo et pax, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Potest saltem auctoritatis exercitium a communi consensu dependere. — *R. n.* (natura inaequales fecit, nec deponitur).

**Objic. 4<sup>o</sup>** Saepe mulier est viro praestantior; *e.* hanc natura designavit. — *R. d. ant.* omnimode, *n.*; aliquatenus, *c.* — *sed n. supp.* (ex eo quod fit per accidens desumenda non est lex generalis, potius quam ex facto naturali et ordinario).

**Objic. 5<sup>o</sup>** Haec mulieris inferioritas oritur ex praejudiciis, educatione, etc; *e.* non a natura. — *R. n. tot.*

### Propositio 123.

Societas conjugalis, tum quoad suam naturam, tum quoad praecipua sua jura, tum quoad impedimenta sua, est a societate civili independens.

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur, quum nunc homines omnes in societatibus civilibus vivant, utrum et quomodo matrimonium potestati civili subdatur. — Respondent multi illud subjici, non solum quoad effectus civiles, sed etiam quoad essentialia et intrinsecas conditiones.

2) Respondent catholici nunc omnes, matrimonium nonnisi ratione posse, realiter minime posse distingui in contractum matrimoniale et sacramentum

christianum; ac proinde totum quantum esse rem religiosam, unice Ecclesiae subjectam quoad essentialia, statui civili solum quoad effectus externos civiles.

3) Respondemus in propositione, etiam ex sola ratione, et abstrahendo a supernaturali dignitate sacramentali matrimonii christiani, societatem conjugalem quoad sua essentialia esse ab auctoritate civili independentem.

4) Concedimus potestati civili subesse effectus externos civiles matrimonii, scilicet *a*) publice nuntietur matrimonium, et de eo auctoritas civilis certior fiat; — *b*) confinia auctoritatis domesticae, paternae agnoscantur, hereditatis determinatio protegatur; — *c*) tempus emancipandi filios agnoscat et observetur; — *d*) tutela publica conjugibus praestanda; etc.

**Prob.** Ad potestatem civilem pertinet solum prospicere libertati et efficacitati tendentiae socialis in finem socialem civilem, non vero dare, auferre, regere jura personalia vel mere domestica; *a.* matrimonium vi naturae suae non ad finem socialem civilem instituitur, sed ad exercitium jurium personalium et domesticorum; *e.*

*Ad maj. 1 part. (solum prospicere).* Finis specificans societatem civilem, et quo differt ab aliis societatibus, non aliis est nisi ille externus concursus seu tutela ad bona externa temporalia generalia (cfr. infra).

*Ad 2 part. (non jura personalia).* Haec jura immediate oriuntur ex naturali personalitate humana; *a.* hanc societas civilis praesupponit, non facit; *e.* ea jura tangere nullo modo potest.

*Ad 3 part. (non jura mere domestica).* Societas domestica immediate a natura humana oritur et constituitur cum suis iuribus naturalibus; et ad societatem civilem praesupponit ex natura rei; *e.*

**Prob. min. 1 part. (non ad finem civilem).** Societas conjugalis a societate civili essentialiter differt, et ad eam praesupponit; *e.* non ad ejus finem essentialiem ex natura sua destinatur.

**Prob. min. 2 part. (sed iurium personalium).** Matrimonium ad ipsam integrationem et complementum personalitatis humanae refertur, tum quoad potentiam procreandi sobolem, tum quoad subsidia et solatia vitae; *e.*

**Prob. min. 3 part. (et domesticorum).** Matrimonium est fundamentum totius societatis domesticae; *e.* ad ipsam constitutionem familiae pertinet.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Omnia quae sunt in societate civili ejus auctoritati subsunt; *a.* familiae sunt in civitate; *e.* — *R. d. maj.* subsunt, i. e. civitatis est omnia sua membra et familias ad finem suum dirigere, *c.*; ejus est omnia iura per suas leges creare, *n.*; — *d. min.* sunt in civitate ut totidem societates ipsa civitate anteriores, *c.*; ab ea qua tales dependent, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Matrimonium est contractus civilis; *e.* — *R. d. ant.* civilis, i. e. a civibus (sed quatenus homines sunt, non quatenus cives) initus, et civiles effectus aliquos habet, *c.*; i. e. a civitate pendens natura sua, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Societas civilis debet societatem domesticam protegere; *a.* si hoc, potest eam etiam ordinare; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* ordinare, i. e.